Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3237
Quelle:
Copyright:

lae hujus mentionem nullibi reperiam. Incipit illa: *Que sunt salutis proprie et aliorum semper cogitare et cogitata semper diligenti executioni mandare. Hoc autem ut semper et promptius docta nobilitas efficere ualeat, preter multa licet exilia et inutilia, que Ego qualiscumque super destruendo flebili scismate scripseram* (puta Epistolam Pacis, Poema, Dialogum) *fama ingenue probitatis Vestre pre ceteris scientiarum fulgoribus illustrate tandem me compulit scribere aliquid eciam Vestre serenitati. si forte estis ille Principum electus qui dabit ex syon salutare israel* &c. Texit itaque Historiam Schismatis a. 1378. in Ecclesia exorti, ejus damna percenset, et ad opem ferendam solicitat. Sub *Epistolae* finem id memorabile: *Tempus est, ut considerent Germanorum Principes et Prelati. quorsum tendant ea que nunc aguntur olim inaudita mala. Quid est, quod Studia dissipantur Gallie* (ubi Autor iis vacaverat) *sol sapientie ibi eclipsatur. recedit sapientia transiens ad gentem alteram* (ut ille Viennam) *Nunquid non jam apud germanos Lucerne 4er sapientie accense sunt, hoc est, quatuor generalia studia* (Coloniae, Erfordiae, Heidelbergae, Viennae) *veritatis radijs choruscantia. Quibus extinctis non durabit Ecclesie vigor ac decor* &c.

VI. *fol.* 70. *Allexander dictus Pe* (trus) *De Candia Ordinis Minorum dedit hanc Bullam pro Mendicantibus Que in Concilio Constancien. cassata fuit et reuocata.* Sermo est de *Alexandro* V. Pont. qui a. 1409. *quarto Id. Octobr. Pisis* in favorem Mendicantium Constitutionem edidit, quae hic sequitur incipiens: *Regnans in excelsis triumphans Ecclesia* &c. et legitur apud *Wadding.* in *Annal. Minor.* T. IX. p. 508. et in *Bremondi Bullario O. P. T.* II. p. 501. Constitutionem excipit: *Scriptura oblata Reformatoribus in Concilio Constan. ab Universitate Parisien. super revocacione dicte bulle.* Incipit illa: *Quia Reuerendissimi patres et insignes domini Alma Mater nostra Vniuersitas studij paris. semper habuit et habet zelum legis et fidei* &c. Non invenio *Scripturam* hanc, qua *Constitutionis* dictae abolitio petitur, in *Actis Concilii*, neque apud *Caes. Egasi. Bulaeum*, quamvis hic T. V. p. 189. recitet factam a. 1408. a *Joh. de Gorello* O. M. revocationem V. *Propositionum*, quae tota quanta *Scripturae* nostrae inserta est. Rem hereditario contra *Mendicantes* spiritu a *Parisinis* actam illa sub finem marginis nota declarat: *Fiat hic exclamatio contra Mendicantes.* Claudit Συνταγμα istud *Responsio fratrum Mendicantium super reuocacione et cassatione Bulle presignate*, hoc initio: *Reuerendissimi in christo patres et domini metuendissimi. Ad peticionem ut fertur factam ex* (parte?) *Vniuersitatis Studij parisien. qua petitur ut per hoc sacrum Concilium Generale reuocetur quedam Bulla. quam petentes dicunt surreptitie impetratam* &c. Nescio, quid hac Responsione ef-

fectum